



Σ. Θ.

§. I.



Vod constitutum erat animo , cum *Leonhardi Culmanni*, Sebaldini in Eccl. Norib. Antistitis, fata percenseremus, Successoris quoque *Mauritii Helingi*, vitam famamq; pro virili descriptam dare, ejus promissi fidem in præfenti opusculo liberabimus. Eoque lubentius hoc labore perfungimur, quo certius nobis de ultimis ipsius *Culmanni* fatis interea indicium factum est. Cum enim in ancipiti rem omnem relinqueremus, quorsum ille post excessum e Civitate Noribergensi pervenerit; non multo post e *Jac. Dachtleri*, Hebr. L. Prof. Tubing. memoria, a Cl. *Fischlino* conservata, a) præter opinionem intelleximus, anno statim sequenti 1556, commendante procul dubio *J. Brentio*, Jacobi *Andrea* primis in Comit. *Helffensteinens* Ecclesiæ repurgandæ curis suffectum esse. Atque adeo pastoris in oppido, ejus Comitatus præcipuo, *Wiesenstaig* deinceps officium obiisse, jam compertum habemus. Ubi, quandoquidem brevi post *Laurentio* & *Jacobo Dachtleris* locum vacuefecit, atque ipse etiam Comes *Ulricus*, aliquot annis elapsis, partes Evangelicorum iterum deseruit, spiritum tandem reddidisse plane verosimile fuit. Sed postquam Amici cujusdam industria in eam rem inquisitum est diligentius, cognitum est, & ex ipsis diptychis sacris ad nos perscriptum, neque *Wiesenstaigii* diem suum obiisse *Culmannum*; sed nescio, quam ob rem,

A Anno

a) in *Memor. Theol. Würteb. P. II. Supplem. p. 379.* ubi tamen *Culmannus* Magistri titulo insignitur, quem per omnem vitam nunquam gessit.